

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1763**

Rudolphus I. [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-295084](#)

C A P U T   I I I .  
 M A R C H I O N E S H A C H B E R G A -  
 S A U S E N B E R G I C I .  
 R U D O L P H U S   I .  
 A B A N N O   1 3 0 0 .   U S Q U E   A D   A N N U M   1 3 1 4 .



## §. I.

**H**enrici II. Hachbergici Marchionis, dicti Sedes & nomen. Equitis, filius natu junior, Rudolphus, in paternæ hereditatis divisione Saufenbergæ fortitus est Castrum, quod haud procul Kandra, in aditu Nigræ Silvæ, rupi nec altæ nec præcipiti impositum, prima Marchionum hujus lineæ sedes fuit, unde vulgo *Linea Saufenbergica* dicitur, Marchionibus licet Hachbergæ retinentibus nomen. De monte *Sufenberg* cum Abbatia S. Blasii An. 1232. transactum supra vidimus. (a) Tractus ille superioris Brisgoviae, ad Saufenbergæ Castrum spectans, *Saufenharda* nuncupari folet.

(a) Periodi Hermann. Cap. VI. §. I. pag. 321.

Anno 1300. die Sabb. ante Annunt. Mariæ Rudolfus,  
Marchio de Hachberg, cum fratre suo Henrico literas compositionis  
inter Comites & Civitatem Friburgensem sigillo suo equestri  
firmavit. Sexennio post Castri Spanegg, - infra Brisacum ad  
Rhenum siti, proprietatem judicio feudali fratris sui Rudolfus  
obtinuit. (b)

### §. II.

Judicium  
provinc.  
Brisgov.

Anno 1309. die Merc. post S. Margarethæ Judicium  
provinciale habitum est Sliengæ, in Saufenhardæ confinibus, cui  
Judicio, Rudolfi Marchionis & Landgravii Brisgoviae nomine,  
Walravus, Thiersteinensis Comes, præfedit. In eo Rudolfus  
documenta sua de vico Uchtingen, de Castro Spanegge, de bonis  
in Bischoffingen & Froschbach, de Advocatia in Gretzhausen  
& decimis in Griesheim produxit. (c) Paulo post Walravus  
Comes & Johannes de Endingen, Miles, de sententia hac ad  
Aulicum Imperatoris Judicem, Henricum Comitem de Spanheim,  
scriperunt literas, quibus Waltherus Dom. de Rötenlein, Burckardus  
Dom. de Usenberg, Wernherus & Cuno de Bergheim, Arnoldus  
de Grünenberg, Ludovicus de Ratolzdorf, Cunradus Schaler de  
Benkon, novemque alii recensentur Assessores Judicii. Eodem

(b) Cap. præced. §. III. pag. 353.

(c) Codex Diplom. ad hunc Ann.

anno pro vicis Rotwilre, Bergen & Vogtsberg ad montem Kayserstuhl Walthero de Richenberg ducentas marcas argenti ponderis Colmar. se debere profitetur Rudolphus.

## §. III.

Anno 1311. mortuo Walthero de Rœtenlein, idem Rudolphus una cum Lutoldo de Rœtenlein, Præposito Basiliensis <sup>Roetela-na suc-cessio.</sup> Capituli, Dynastiæ Rœtelanae possessionem uxorio, uti videtur, nomine adivit. Uxoris Rudolfi nomen licet nobis ignotum, Rœtelanae profapiæ tamen eam fuisse, ex eo colligimus, quod Rudolfi filius Henricus Lutoldum hunc appellat *Avunculum* suum. (d) Castrum Rotenberg in Dynastia Roetelana Thuringus de Ramstein & Conradus Münch de Munchsberg arbitrali quatuor Equitum Basil. sententia Lutoldo huic atque Rudolpho Marchioni pro 250. marcis argenti tradere coacti sunt.

Anno 1313. die Ven. ante Palm. Conradus Schalerus de Benkon, miles Basil. Rudolfum de Hewen, Aulæ Johannis, Regis Bohem. atque Vicarii Imp. judicem reddit certiorem, se Lutoldum Præpositum & Rudolphum Marchionem in oppidi *Schopheim* & *Castrum Roetenlein* reduxisse possessionem.

B b b 2

(d) *Unser Ochein felige.* Charta est An. 1316.

## §. IV.

Rudolfi  
mors &  
liberi.

**I**ta aucto aliquantum accessionibus patrimonio An. 1314. Rudolphus I. decepit; (e) ex conjugi, quæ Roetelana fuisse videtur, (f) pater trium filiorum, Henrici, Rudolfi, Ottonis, qui singuli ex paterna & materna hereditate aliquid obtinuerunt. De Anna filia nobis infra est sermo.

## H E N R I C U S.

AB ANNO 1314. USQUE AD ANNUM 1318.

## §. V.

Roetela-  
na here-  
ditas ex  
affe.

**A**nno 1315. die Sat. ante S. Joh. Bapt. Otto de Ampringen, Miles, cum sculteto & senatu Sulzbergensi de argentifodinis Brisgoviae inter Episcopum Basiliensem & Heinricum nostrum, Brisgoviae Landgravium, controversis, sententiam pronuntiavit. In Literis his jam *Domini de Roetelen* titulo insignitur Henricus, partem illius Dynastiæ possidens. At sub finem ejusdem anni (g)

(e) In Literis Andreæ de Aſt, An. 1314. datis, vocatur *beate defunctus*. Vid.

Cod. Diplom.

(f) IMHOFIUS Tab. Geneal. 76. Partis II. Rudolpho nostro uxorem dat Agnetem de Reichberg; uxorem ejus appellans, quæ extiterat foror. Hæc nupsit Walthero de Reichenberg, Mili superioris Alsatiæ.

(g) Ante festum S. Thomæ 1315.